Incipiunt Epistole Theoderici Regis

Cum disertorum gratiam aut communibus fabulis aut gratuitis beneficiis. nullis
tamen veris meritis collegissem. dicta mea que in honoribus sepe posi-
tus pro explicanda negociorum qualitate profuderam. in unum corpus redigere suade-
bant. ut ventura posteritas et laborum meorum molestias. quas pro generalitatis
commodo sustinebam. et sincere conscientie temptamenta dinosceret actionem. Dice-
bam dilectionem ipsorum in posterius fore contrariam. ut quod illi preter desideria supplican-
tium putabant acceptum. postea legentibus videretur insipidum. Addebam
debere illos Flacci dicta recolere. qui monet quod periculi vox precipitata possit
incurrere. Respondendi celeritatem certos videtis exigere. et creditis me in-
pendenda proferre. Dictio semper agrestis est. aut sensibus electis premo-
tam non comitatur aut verborum minime proprietatibus explicatur. Loqui nobis commu-
niter datum est. solus ornatus est qui discernit indoctos. Nonus annus ad secundum
relaxatur auctoribus. mihi nec horarum momenta prestantur. Mox ut cepero clamo-
ribus imminetur. et festinatione geritur nimia. ne caucius cepta peragantur. Alter
nos frequentia invidiose interpellationis exaggerat. alter misera mole casti-
gat. alii furiosa contentionum sedicione circumdant. Inter hec cur requi-
ritis dictationis eloquium. ubi copiam vix possumus habere sermonum.
Impares quoque noctes inexplicabilis cura circumvolat. ne desint alimonia
civitatibus; que super omnia a populis plus requiruntur studentes ventri non auribus.
Hinc est quod cogimur animo per cunctas ire provincias. et iniuncta semper inqui-
rere quia non sufficit agenda militibus imperare. nisi hec iudiciis assiduitas videa-
tur exigere. Nolite queso ingrate nos amare. declinanda est suasio. que plus
habet periculi quam decoris. Sed illi me potius tali disceptatione fatigabant.
prefectum te pretoriane sedis omnes noverunt. cui dignitati occupationes publi-
ce veluti pedissequae semper assistunt. Ab hac enim exercituales flagitantur
expense. ab hac victus queritur sine tempore consideratione populorum. huic etiam
vel solum grave iudiciorum pondus abiectum est. cui ideo leges vise sunt inmen-
sum onus imponere. cum ad ipsam honoris gratiam maluerint (pene cuncta) pertinere. Quod
enim spacium possis publico labori surripere. quod totum in unum pectus confluit. quicquid
utilitas generalitatis exposcit. Addimus etiam quod frequenter questure vicibus ingra-

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_273/0007